

vult aut negligit habere bonum motum in res divinas ponit obicem ad remissionem venialium: et sic non mirum quod illam non obtineat: nam etiam sacramenta habent infallibilem assistentiam virtutis divinæ ad causandam remissionem venialium, et tamen si aliquis accedat distractus aut affectus peccato veniali, non consequetur remissionem illius: poterit tamen consequi gratiam, quia ad recipiendam istam illa distractio et peccatum veniale non est obex, sicut est ad remissionem venialium, quia ista solum tolluntur per aliquem bonum motum, qui impeditur per talem distractionem. Et cum dicitur, quod sacramentalia non opponuntur venialibus dico, non opponi formaliter, id est, tamquam formam oppositam, sed instrumentaliter, quatenus tamquam instrumenta causant id, quod formaliter opponitur venialibus (scilicet illum bonum motum interiorem) sicut etiam sacramenta non opponuntur mortalibus nisi instrumentaliter, quia sunt instrumenta gratiæ; ipsa autem gratia formaliter opponitur.

XLII. Ad primam confirmationem respondetur, benedictionem episcopi esse quidem actionem ipsius, sed respicere pro subjecto, supra quod cadit moraliter, ipsos homines quibus benedicit: et sic potest assumi, ut instrumentum ad causandum in omnibus illis bonum motum ad res divinas, quia licet episcopus benedicens physice distet ab illis, tamen Deus bene potest per rem distantem operari in alio gratiam, vel bonum motum, aut aliquid simile: si tamen illi homines sint distracti vel inviti, ponunt obicem: et sic non causabitur in eis bonus motus, et remissio venialium. Ad secundam responde-

tur, bene posse dari opus operatum ad remissionem venialium, non quidem præscindentem ab omni opere operantis, sed causantem illum, quatenus causat bonum motum interiorem, quo venialia tolluntur: et tamen hic bonus motus causatur ab illo sacramentali ex opere operato, quatenus media virtute divina sibi infallibiliter assistenti ex Christi passione, causat in nobis illum bonum motum, et hanc virtutem habet aqua benedicta ex consecratione et precibus Ecclesiæ, ut possit causare illum bonum motum. Potest etiam contingere, quod si aliquis accedat ad sacramentalia cum aliqua devotione, quæ non sufficiebat ad tollenda venialia, vel ad non tollenda omnia, accipiat ex aqua benedicta virtutem ad eliciendam majorem devotionem, magisque extendendam ad alia peccata, et sic plura vel etiam omnia remittit: non quia ille actus præcedens, cum quo accessit, majorem oppositionem recipiat quam ex natura sua habet cum venialibus, sed quia ultra illum excitatur alius actus, majorem extensionem et oppositionem habens ad alia peccata, et hic motus sic excitatus est forma, per quam illa venialia tolluntur.

XLIII. Ad fundamentum pro secunda sententia allatum patet ex dictis: constat enim esse in Ecclesia talem auctoritatem, quia in textu supra allegato explicata est supra unum sacramentale (scilicet aquam benedictam) et eadem est ratio de aliis, quæ similem consecrationem ab Ecclesia habent. Quæ enim sine consecratione vel benedictione Ecclesiæ dicuntur remittere venialia, non ex opere operato dicuntur id facere, sed ex opere operantis.

## QUÆSTIO LXXXVIII.

### DE REDITU PECCATORUM PER POENITENTIAM

#### DIMISSORUM.

## QUÆSTIO LXXXIX.

### DE VIRTUTUM RECUPERATIONE PER POENITENTIAM.

I. Licet præcipuus effectus poenitentia sit restituere gratiam perditam, et consequenter virtutes, quæ gratiam consequuntur, tamen non potest iste effectus plene explicari, nisi comparative ad suum oppositum (scilicet peccatum) de quo oportet videre, an peccatum semel remissum possit per sequens peccatum reviviscere et redire, sicut per poenitentiam gratia amissa recuperatur. De peccatis ergo semel remissis ostendit S. Thomas in quæstione LXXXVIII, quod per sequens peccatum non redeunt, neque recuperantur formaliter et in se: possunt tamen virtualiter redire. Non possunt redire formaliter, quia macula, et aversio peccati non habetur formaliter, nisi mediante conversione ad bonum commutabile, ex quo sequitur aversio a Deo; sequens autem peccatum non facit illam conversionem, qua quis ante peccaverat, potest enim peccare in diversa materia: et dato quod peccet in eadem, fit distinctum numero peccatum, et sic illud præcedens peccatum jam remissum non redit. Dicitur autem peccatum remissum redire virtualiter, quia in peccato sequenti inve-

nitur quædam aggravatio ex ordine ad peccatum remissum, scilicet ingratitude; et quia hæc aggravat ex comparatione ad peccatum remissum, dicitur illud peccatum redire virtualiter ratione talis aggravationis. Hæc autem ingratitude dupliciter sumitur. Primo generaliter, prout fit contra ipsum beneficium remissionis prius acceptum, et sic omne peccatum iteratum post remissionem habet ingritudinem: secundo specialiter, quatenus aliqua ingratitude non solum est contra beneficium, sed etiam contra formam beneficii præstiti: ut est odium fraternum, quo aliquis non vult remittere injuriam aut debitum proximo, sicut Deus nobis remittit. Et similiter qui docet se poenituisse, aut contemnit confiteri, vel contemnit ipsam fidem, dicitur habere specialem ingritudinem, quia excludit a se modum et formam, qua debet se in Deum convertere, et beneficium illud recipere.

II. De recuperatione vero gratiæ et aliarum virtutum distinguit S. Thomas quæstione LXXXIX, id quod est gratiæ de novo datæ, et id quod est meriti per priora opera